



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*  
(*TEMPLUM BEATAE MARIAE VIRGINIS PERDOLENTIS*)\*

TEMPLUM BEATAE MARIAE VIRGINIS PERDOLENTIS, AD FORUM BONAËRENSE, IN  
TITULORUM CARDINALICIORUM PRESBYTERALIUM ORDINEM REDIGITUR.

Sunt hic Romae, in urbe omnium nobilissima ob Beati Petri sedem atque venerandam Christi religionem, ad quam testandam mille ac mille martyres, Christi athletae, sanguinem profuderunt, templa multa eademque sanctissima, Deo nempe dicata in suorum Sanctorum honorem, quae ad maiorum Nostrorum consuetudinem Patribus Cardinalibus in Titulum tribui solent. Quod idcirco fieri consuevit ut tum aedes illae e tantorum virorum dignitate quasi ornamento afficerentur, tum egregii hi viri e templorum maiestate parem cum sua purpura dignitatis splendorem obtinerent. His sane templis, arte, structura, pietate insignibus, id est annumerandum quod est Beatae Mariae Virgini Perdolenti sacrum, ad Forum Bonaërense. Quod quidem, Leone Iosepho Gallardo auctore, ex archidioecesi Bonaërensi sacerdote, est anno MCMX aedificari coeptum, atque dicebantur Christi fideles Argentinae Rei publicae, saeculo a recuperata libertate primum redeunte, Summo Pontifici dono esse daturi. Cum autem opus prope absolutum esset, anno MCMXV, die duodevicesimo mensis iunii, Benedictus XV P. M. per Apostolicas Litteras templum Argentinae Nationi attribuit, cum iuribus atque privilegiis iisdem ac ceterarum sacrarum aedium quae Hispanorum vel Gallorum Romae essent. Tum templi dominium datum est Episcopatu Nationis Argentinae, ac tandem, anno MCMXXIX ita res est disposita ut Ordini Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum ad sacra facienda crederetur, a quibus est etiam magno in fideles Ecclesiamque merito fastigium impositum. Postremo, anno MCMXXX per Vicarium Urbis consecratum est. Neque est praetereundum in sacra hac aede nonnullos per annos sedem paroecialem fuisse. Quae cum ita sint, templum *Beatae Mariae Virginis Perdolentis ad Forum Bonaërense* in numerum *Titulorum Cardinaliciorum* redigimus, cum iuribus ac privilegiis, huius ordinis propriis. Curet autem Rector templi ut clero populoque has Litteras Nostras perlegat, cum primum acceperit; idem vero documenta exaret actae rei, atque debite subscripta ac sigillo impressa ad Sacram Congregationem Consistorialem sinceris exemplis mittat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius

Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostris quarto.*

<p><i>Pro S. R. E. Cancellarius</i>          HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI  <i>S. Congr. Consist. pro-Praefectus</i></p>
--	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 15, pp. 929-930 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana